



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **SANTOS CAELITES**. IOSEPH, SPONSUS B. M. V.,
ET S. CLARA ASSISIENSIS CONFIRMATUR PATRONI
DIOECESIS S. JOSEPHI CALIFORNIA, PRINCIPALIS ALTER, ALTERA SECUNDARIA Ad
perpetuam rei memoriam. – Sanctos caelites a christifidelibus honorari, atque sincera pietate invocari, non modo
aequum, sed etiam utile esse, omnibus in Christum credentibus persuasum est: namque illi ob singularem virtutem, qua
praestiterint, iam non solum amicissimi Dei facti sunt, cuius laudes perpetuo canunt, sed etiam potentes ipsius
misericordiae intercessores, cum nihil caelestis Pater abneget iis, qui Eum tota vita dilexerint. Ceterum, id semper
Ecclesia et credidit et docuit, suoque exemplo firmavit. Qua re, cum clerus populusque dioecesis S. Iosephi in California
singulari pietate erga S. Iosephum, beatae Mariae Virginis Sponsum, Sanctamque Claram Assisiensem niteant, atque
idcirco eos tamquam Patronos propriae dioecesis delegerint, alterum nempe principalem, secundariam alteram, ut dici
consuevit, atque Episcopus id rite probaverit; cumque a Nobis sacer idem Antistes haec omnia confirmari poposcerit, ad
normam Instructionis «De Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis», n. 30; Nos,
rati quidem e Nostra confirmatione nonnisi bona manare posse (honor enim Sanctorum in Deum tandem refundi ac
recidere), libenti animo admotis precibus concedimus. Iis ergo probatis, quae Congregatio pro Cultu Divino de re
statuerit, factis olim a Nobis facultatibus, placet sive S. Iosephum Sponsum B. M. V. Patronum principem apud Deum
confirmari dioecesis S. Iosephi in California, sive S. Claram Assisiensem Patronam secundariam eiusdem Sedis haberi,
cum iuribus et liturgicis privilegiis iuxta rubricas consequentibus, contrariis nimur non obstantibus. Ceterum quae
gessimus ut Deo Sanctisque eius laudi, dioecesi vero beneficio cedant, beata Maria Virgo a Filio postulet. *Datum Romae,*
apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XV mensis Novembris, anno MDCCCCLXXXVI, Pontificatus Nostri
nono. AUGUSTINUS Card. CASAROLI, a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1986 - Libreria Editrice Vaticana
